



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

6. Nullum immaturum mori, dum occasione peccandi subducitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

putat, nosse debet, virtuti honorem tribui, non ætati. Siquidem senes non honorantur, nisi propter scientiæ & virtutis opinionem. Si senex est nequitiosus ob experientiam, nequitiam alios longè antecellit, atque ob hoc contumeliâ dignus. Itaque *senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis.* Senex igitur est, qui multum sapit, non qui multum vivit. Et vita brevis, si bona est, præferenda est utique longæ malæ. Malum quod maius, eò peius. Vita igitur hominis mali, quod longior, eò deterior est. Unde etiam malo prodest citò mori, ne peior fiat; bono, ne malus fiat. Multa in hanc rem scribit Bernardus ad Romanum Romanæ curiæ Subdiaconum. Qui etiam alibi docet, nullam ætatem DEI gratiæ præmaturam, sicut nec seram, nec juxta Apostolum, adolescentiam esse contemnendam Doctoris; præferendos & bonæ indolis adolescentes *inueteratis dierum malorum*, qualem etiam Christus puerulum prætulit, cum talium dixit esse regnum cælorum. Alioqui Isaias ipsos etiam deliros senes, bis pueros vulgo, *centum annorum pueros* vocavit. At Samuel quàm præstans erat puer, quàm promptus DEI auditor? Denique, teste Hieronymo, *non sunt à vetustate hominum astimanda ingenia, sed à probitate, eruditione, morum gravitate.*

Ostendimus hucusque nullam immaturum mori. Maturus est morti, quisquis vel inferno dignus est, vel cælo. Scriptura indicat clarè, etiam amorem DEI, causam esse mortis maturioris: *Placens DEO factus est dilectus, & vivens inter peccatores, translatus est.* Rapta fingitur, in fabulis, à Plutone Proserpina, à Ione Ganymedes, quia turpiter falsis Dijs placuerunt; cur non & verus DEVS ad se raperet, qui illi castè placent? Sic & Enoch placuit DEO, & translatus est in Paradisum. Addit Scriptura & hanc causam mortis velocioris, ne diutiùs *inter peccatores vivens*, malis aliorum exemplis ac suasionibus, varijsq; occasionibus innocentiam perdat. Paulinus scribit postulasse Dauidem, notum sibi fieri finem suum, & numerum dierum: & quoniam didicerat, prorogata sibi tempora, ingemuisse: *Hæc mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* quia nimirum habitabat cum tabernaculis Cedar, id est, cum tenebris Mundi. Quid prodest vivere in perniciem

S Bernard.
ep. 105. & ep.
47.

1. Tim. 4. 12.
Dan. 13. 52.

Isa. 65. 10.
1. Reg. 35.
S. Hieronymo.
epist. 114.

VI.

Gen. 5. Hebr.
1). 5.

Paulin. ep. 35.
Psal. 38. 5.
Psal. 19. 5.

- Matth. 24. 21.** niciem aut suam, aut alienam. An non & illud legimus, *nisi breuiarentur dies extremæ tribulationis, quod non fieret salua omnis caro?* Nec probabile tantum est periculum, sed infallibiliter certò scit DEVS, hunc vel illum periturum: si ergo eum rapit, *ne malitia mutet intellectum eius, aut ne fictio decipiat animam illius,* an non eum eximiè amat? Tunc non amaret, si senjorem fieri sineret. An injuriam fecit DEVS innocentibus, quos Herodis permittit immanitari? an Stephano, quem è saxis non eripuit? an Martyribus, quos crudelissimè etiam sæpe juvenes permittit mactari? Si DEVS id peculiari favore permittit, immò voluit, cur Angeli vellent obsistere, qui sanè vtique suis viribus suos clientes possent contra inuasores defendere, aut medicinis sanare, sicut Raphaël nouerat, sed nolunt id facere cælestes isti custodes, ne amando noceant, & mortis corporalis impedimento, salutem impediunt sempiternam. Siquidem diu viuere, est diu periclitari. Quare meritò D. Cyprianus exclamat: *Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus urgetur, & delectat hic, inter Sabuli gladios, diu stare?*

VII.

- Isa. 57. 3.** Quid, quòd innocenti mors beneficium est, non solùm ne peccet ipse seductus, sed etiam ne intersit peccantibus, videatque suorum calamitates? An non Isaias ait: *A facie malitia collectus est justus?* An non Iudas Machabæus ita suos adhortatur: *Melius est nos mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ?* Sic sæpe felices eos vocamus, qui ad tempora nostræ non prouixerunt, ne miseras nostras intruerent. Possidonius memorat, D. Augustinum, ex hac vita abiisse, tædio malorum patriæ suæ, præsertim Hipponensis ciuitatis, cùm à Deo dimissionem, ex hoc sæculo, poposcisset. Anastasium Papam refert S. Hieronymus idcirco raptum, atque translatum esse, ne caput sub tali Episcopo truncaretur, & ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur. O quantam crucem haberent sæpe parentes, si superuierent, & filiorum suorum dedecora aspicere cogerentur! Quamquam non rarò ipsi in causa suat, vt liberis priuentur. Sicut enim ob derisum Dauidem ante arcam saltantem, *Mischa, filia Saul non est nata, filium usque in diem mortis suæ; ita* & ipsi
- 3. Machab. 3. 99.**
- Possid in vit. S. Augustin. cap. 18. 29.**
- 2. Reg. 6. 23. 2. Reg. 11. 14.**